20

Q. D. B. V

# DISPVTATIO POSTERIOR
DE
# POENIS OCCVLTE SVMTIS

QVAM

*PRAESES*

M. DANIEL HENRICVS ERNESTI

SCHREBIZENSIS MISNICVS

ET

RESPONDENS

MATTHIAS PRVNI

THRENSCHINIO HVNGARVS



*AD DIEM XXVIII IVLII A. R. S. MDCCXLV*

INSTITVENT

VITEMBERGAE
EX OFFICINA HAKIANA



## §. VIII

Vt Albano id, quod, Egmondanum et Hornanum palam capite plecti, iusserit, in priori dissertatione uitio datur, sic e contrario praecipua laus nunc iis tribuitur, qui insignes homines, morte dignos, clam interficiendos curant. Euitant enim odiorum turbarumque pericula. Si mens nostra ad pristina respicit tempora, plurima se nobis huius rei offerunt exempla.* Perdicca, Dux belli, postquam exercitum armatum in campo constituit, consentientibus universis, euocatos, dum transiit, de singulis manipulis seditiosos supplicio occulte tradidit, Iustin. lib. XIII histor. Cap. IV, no. 8. Pari modo Tiberius personatum Agrippam, cum, propter magnos multosque in domo Principis amicos, poenam eius palam non auderet, in secreta palatii parte interfici, iussit, corpusque clam auferri, prout nobis scriptum reliquit Tacit. lib. II Annal. cap. XL. Sic ne corpus quidem et sanguis occulte punitorum monstrari et aspici debet. Consentit hic supra cit. Aerodius lib. VII, Cap. XVII, f. 412, qui non solum huius ficti Agrippae, sed etiam Orontis, mentionem iniicit, subiuncta demum huius occultationis causa, Orontes, ait, proximus erat genere Artaxerxi. Huic cum bellum esset cum Cyro, minore fratre, Orontes, qui Cyrum sequebatur, proposuerat eum prodere Artaxerxi. Eo nomine a Cyro, de septem procerum sententiis, damnatus, sic poenas luit, (refert Xenophon) ut eum postea quisquam nec uiuum, nec mortuum, uideret, qua morte extinctus esset, nesciret, neque cadaueris, neque sepulchri, uestigium ullum appareret. Mouet enim nonnunquam expositum cadauer, funusque mouet, praesertim uero, si potentissimi uiri, et si sine accusatione poena exacta est. Cedo, quid tam Bruto et Cassio nocuit, quam elatio Caesaris. Meministine, inquit Cicero ad Atticum, te clamare, causam periisse, si elatus esset. Quid tam utile fuit Tarquinio, quam Seruium Tullium priuasse publico ac Regio funere. Hactenus Aerodius. Accedo nunc propius ad tempora recentiora, in iisque multos principes, reos clam punientes, deprehendo. In memoriam reuoco Henricum III, Galliarum regem, qui Ducem, Guisium, eiusque fratrem, Cardinalem, clan-

Quaenam exempla huc pertineant.

destina caede interfici, iussit. Quorum prior in interiori Regis conclaui a coniuratis ex composito, repetitis ictibus transfixus, animam efflauit, alter uero, cum in cubiculo, una cum Archiepiscopo Lugdunensi, custodia teneretur, inde euocatus, monitusque prius, ut se Deo commendaret, hastarum necatus ictibus, uitam posuit. Sic interitu acerbo uterque coniurationis pendit poenas. Praeter alios scriptores id enarrant Luuetus in Historia, Gallice scripta, uirorum illustrium, a Principibus ualde dilectorum, (des plus illustres fauoris) tom. II, p. 384, seqq. Thuan. Lib. XCIII, ad A. M D LXXXVIII, f. 246, b, et 248, b, ac Gregor. Leti in cit. uita Sixti V, parte III, Lib. III, p. 338, et 341. Qui quidem historici, maxime Thuanus f. 243, b, caussas exponunt, cur Guisii isti occulta eiusmodi internecione tollendi fuerint. Initio quidem commemorat Thuanus, Regem cum quibusdam amicis, in consilium adhibitis, putasse, Guisios ex legibus, cognita iudicum sententia, ad supplicium esse dandos. Sed, cum talem rem in iudicium deducere, ibidemque cum reis iure experiri, difficillimum uideretur, illi, qui Regi a consiliis erant, mutarunt consilium, atque istos clam occidi, utilissimum arbitrati sunt, caussam interserebant, periculum celeritate praeuertendum, et tempestiua ui uiolentiam detestandae coniurationis occupandam, idque ad famam honestum in huiusmodi rebus semper haberi, quod ad salutem expediendam utile, immo necessarium sit, non enim dici posse fidem uiolari, cum is, qui ius necandi habeat, in grassatores, in iuris diuini humanique uiolatores, in affectatae tyrannidis manifestos reos, iure gladii utatur, cetera. At sunt quidam uiri docti, qui hic in diuersas trahuntur sententias. Male Henricum Regem fecisse, dicunt nonnulli, quod Guisium, Ducem, in conclaue ad se accersitum, praeter omnem opinionem, oppresserit, neque huic tempus pro se uerba faciendi reliquerit. O quam Rege factum indignum, exclamant. Ipse Guisii, maximi Ducis, cum interficeretur, sanguinem adspexit. Fratrem quoque Cardinalem, sacram eius dignitatem nihil curans, eodem fere modo in percussorum manus traditum, interemit. Hac autem re effecit, ut non solum Pontifex Romanus hoc factum indignaretur, sed ipse

etiam

etiam Rex in magnum ciuium ſuorum odium perueniret, idquod apud citatos modo ſcriptores, Thuanum et Leti, relatum legatur. Conf. Petr. Baelius in Dictionar. Hiſtor. Crit. ſub nomine Henry de Lorraine, Duc de Guiſe, f. 652, ſeqq. Alii uero, Henricum recte ac bene feciſſe, perhibent, cum, publica coactus neceſſitate, imitatus ſit Titum Imperatorem, qui, commemorante Suetonio, in Tit. Cap. VI, A. Caecinnam, uirum conſularem, ad coenam uocauit, ac uix dum triclinio egreſſum, confodi, iuſſit, ſane urgente diſcrimine, cum etiam chirographum eius praeparatae apud milites coniurationis deprehendiſſet. Quid igitur obſtitit, inquiunt, quo minus Regi Henrico Guiſios clam necare licuerit. Iam in eo erant, ut, Rege in monaſterium detruſo, regnum occuparent. Sed, inſtant, id Magiſtratui, ſi ſine ſumma cauſa magni criminis reum, neque auditum, neque defenſum, condemnet, et occulto ſupplicio tradat, uitio dari. Namque iniuſtitiae et crudelitatis praeberi, aiunt, ſuſpicionem, quoniam qui inauditi atque indefenſi pereant, tanquam innocentes periiſſe uideantur, ut ſcribit Tacit. lib. I Hiſtor. Cap. VI. Conf. hic Ahaſuer. Fritſchius in Principe peccante, concluſ. XXV. At, ſi periculum immineat, et magiſtratus delicti certior ſit, uel ex eius, qui crimen commiſit, literis factiſque cognoſcat, celeri potius ſupplicio, quam inſtituto ex legibus iudicio, opus eſſe, arbitrantur. Quo plura huius rei extant exempla, eo libentius quoque multi hanc amplectuntur ſententiam. Velleius Paterculus in Lib. II Hiſtor. Rom. Cap. LXXXVIII, nobilis cuiuſdam facti Maecenatis mentionem facit. Maecenas ſcientiſſimus agendi et prouidentiſſimus Auguſti fuit Adminiſter. Hunc, ait Hiſtoricus, cum Lepidus quidam interficiendi, ſimul in urbem reuertiſſet, Caeſaris iniiſſet conſilium, ſpeculatum eſſe, per quietem et diſſimulationem, praecipitis conſilia iuuenis, et mira celeritate, nullaque cum perturbatione, aut rerum, aut hominum, oppreſſo Lepido, immane noui ac reſurrecturi belli ciuilis reſtinxiſſe initium, Lepidum uero male conſultorum poenas exſoluiſſe. Praedicat hoc factum ſupra laudatus Boeclerus in notis ad h. l. p. 259, hoc addito iudicio, Ecce, quam paucis uerbis, quantum politicae artis hic Velleius incluſit. Nonne enim omne et conſilium, et en-

comium opprimendarum conſpirationum in eo uerſatur, ut, diſſimulata ſpeculatione, ueluti aliud agendo, et per ſpeciem otii conſilia ſcelerata obſeruentur, et in ipſa temeritatis molitione deprehendantur, deprehenſa autem celeriter et abſque omni περιεργίᾳ uindicentur, priuſquam tumultus aliquis exoriri, rerumque, aut hominum perturbatio interuenire poſſit, quae plerumque difficilem eam medicinam reddit. Ita Boeclerus. Conf. eiuſd. diſſertatio de iudiciis in tom. I diſſertat. p. 268, ubi duo a Boeclero ad eiuſmodi poenam requiruntur, certa criminis fides, et ſufficiens publici periculi ratiocinatio. Excitat ſimul Gramondum, qui de Ancraei in Gallia caede, iuſſu Regis facta, iudicia, in utramque partem diuulgata, affert lib. II Hiſtor. Gallic. p. 158. In crimine manifeſto tempora Reipublicae non ſemper proceſſum iuris requirere, expreſſis uerbis ſcribit Marpurgenſis quondam Doctor, Cyriac. Lentulus, in Aula Tiberiana, aphor. LXXXIX, p. 77. Ibi exiſtimat, tria, ſi quis, cauſa coram iudicio non peracta, puniendus ſit, eſſe obſeruanda, primum, ut de commiſſo, aut cogitato, facinore non ambigatur, deinde, ut e mora periculum metuendum eſſe uideatur, poſtremo, ut, ſine diſtractione reipublicae, ad cauſae dictionem perueniri nequeat. Arnoldus Clapmarius itidem lib. IV, de Arcan. Rerumpubl. cap. XII, p. 145, copioſe declarat, quantum reipublicae interſit, ſi in cauſa maieſtatis, exortis ſeditionibus, praeruptis cruentiſque factionibus, aperta ſint crimina, repentinum ſumi ſupplicium, cum ita confeſtim remedium, non poſt uulneratam demum cauſam, quaeratur, nec publica animaduerſione ſtudia uulgi et ſeditiones concitentur. Accurate igitur idem Clapmarius crimen manifeſtum a non manifeſto diſcernit. Quare dubitat, an recte fecerit Alexander, cum Parmenionem, coniurationis non conuictum, ſed ſuſpectum tantum, interfici, iuſſerit. Id non modo Curtius lib. VII, Cap. II, ex parte affirmat, uerum etiam plerique doctores cum eo conſentiunt, uelut Boeclerus in Charact. polit. Vellei. cap. V, no. 9, et Io. Loccenius in not. polit. ad Curt. c. l. Sic Calpurnius Galerianus, nihil auſus, ſed propter nomen inſigne, et famam principatus inanem, ei circumdatam, h. e. falſum rumorem, de eo, quaſi rerum potiturus eſſet, ſparſum, iuſſu Muciani, qui uim principis tum complecteba-

batur, nomen remittebat, custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe conspectior mors foret, ad quadragesimum ab urbe lapidem, uia Appia, fuso per uenas sanguine, iniuste fuit extinctus, quemadmodum Tacitus lib. IV Histor. cap. XI, memorat. Quodsi uero nulla causa subest, quare periculum extimescatur, boni ac iusti principis est, causam ad iudicem deferre, et delicti reum atque ad mortem damnatum, si consultum fuerit, occulto loco punire. Hanc puniendi rationem iniit Henricus IV, Galliarum Rex, cognomine Magnus. Gontaltus Carolus Bironius, Mareschallus, coniurationem cum Hispano et Sabaudo contra Regem suum fecerat. Hoc ut resciuit Henricus, Rex, Bironium, a senatu Lutetiano scriptis testibusque, immo dictis suis, coniurationis reum factum, capitisque damnatum, supplicio affici, iussit. Bironius autem non in publica Grauia platea, (de Greue) ubi nocentes plecti solent, sed intra parietes arcis Antonianae (de Bastille) necatus est. Rex quidem hoc Bironii cognatorum gratia facere uidebatur, re autem uera ad euitandum tumultum, quia Bironius in aula plurimos habebat amicos, et militibus erat charissimus, ut memoriae prodidit Archiepiscopus Parisiensis, Harduin. de Perefixe, in historia Henrici Magni, Gallice scripta, p. 323. Quod citatus Thuanus lib. CXXVIII, ad A. MDCII, f. 982, a, ita declarat, Facto decreto Rex, qui interea ad Germani fanum secesserat, diplomate abrogauit, et reum non in platea Portuensi, sed in Bastiliae area, ne tumultus, confluente, ut fit, ad spectaculum plebe, exoriretur, plecti uoluit. Conf. Petr. Matth. Histor. Franc. lib. III, Narrat. IV, p. 316, Luuet. in cit. Histor. illustrium] fauoritarum, ut uulgo dicuntur, tom. III, p. 83, seqq. Rudolph. Boteri Commentar. lib. IX, p. 320, Gabr. Daniel S. I. in Hist. Franciae, Gallice scripta, tom. X, p. 315, seqq. et citatus supra Christian. Matthiae in Theatr. Histor. p. 1140, b, ubi ea, quae nominati scriptores de ingenio Bironii meminerunt, amplius declarat. Commemorat nempe, fuisse eum idiotam, superbum, astrologis hariolisque, uel magis, deditum. Hi, si ei uere futura praedixissent, facile Bironium a nefariis conatibus, postea susceptis, deterrere potuissent, nisi, malo ex orco genio ductus atque occoecatus, quae sibi honori essent,

uera,

uera, quae autem exitium portenderent, falsa, credidisset. Eiusmodi autem uaticinia plerumque sunt uana, et facile fallunt, ut bene hic monent Perefixius c. l. p. 375, et Forstnerus in cit. not. ad Tacit. lib. XIV Annal. cap. IX, ad uerba, Consulenti super Nerone responderunt Chaldaei, p. 22. At Bironius ab omnibus facinoribus abstinuisset, si sermoni, quem Regina Angliae eidem, legationem apud ipsam obeunti, de superbia, perfidia, pertinacia, et male factorum infamia, exemplum Essexii proponens, fecit, fidem habuisset. Hoc breuiter commemorant Perefixius c. l. p. 341, et Thuanus lib. CXXVII, ad A. MDCI, f. 943, a, fusius autem narrat modo citatus Petr. Matthaeus, tom. II Histor. Franc. lib. IV, narrat. III, p. 66. Qui quidem scriptores, Reginam Essexii caput, super turri Londinensi cum aliis affixum, Bironio ostendisse, aiunt. At Guil. Camdenus part. IV Histor. Elisab. p. 822, Essexii caput, non palo affixum, sed una cum corpore sepultum esse, affirmat, et Petrus Baelius in cit. Diction. sub nomine, Gontaut, f. 566, ex aliis auctoribus probat, Elisabetham tum eiusmodi colloquium cum Bironio instituisse, cum ipsi in conclaui Regio effigiem Essexii monstrasset. Infelicem Bironii exitum cum conspiratione, quippe huius causa, Germanice persecuti sunt citatus supra Boetius no. XII, p. 97, seqq. et Io. Mercken in libro, ex Belgica lingua translato der Trauer-Schaubühne, histor. IV, p. 42, seqq.

§. IX

*Quot modis poenae possint occulte sumi.*

Iam satis de causis, cur poenae, praesertim capitales, a quibusdam, occulte repetantur, me dixisse, et satis multa exempla, eo pertinentia, attulisse, censeo. Ex his igitur apparet, sontes, uel causa non cognita, uel re in iudicium adducta, nonnunquam in locis occultis capite plectendos esse. Sed anne nox hic etiam attendi debet. Nocturnum utique tempus ad exequendum supplicium prudenter commodeque tum capitur, si periculum sit in mora, uel locus non satis tutus, aut seditio metuenda, ut scite scribit illustr. ICtus, Io. Strauchius, Cap. X dissertationis de Iure tenebrarum, in opusculis eius Iuridico-Historico-Philologicis, p. 66, ubi ex Sallustio, cap. LV, bell. Catilin. Lentuli, Cethegi, Statilii, Gabinii et

Cepatii

Cepatii affert exempla. Namque hi, coniurationis Catilinariae conuicti, in carcere, tenebris obſcurato, fractis laqueo gulis, proteruiae poenas dederunt, cum conſul optimum factu ratus eſſet, noctem, quae inſtabat, antecapere, ne quid eo ſpatio nouaretur. Sed, cum poenae, tempore nocturno ſumtae, fini, quem quaelibet poena habeat, neceſſe eſt, maxime repugnare uideantur, eamque ob cauſam, ut ſupra docui, improbari poſſint, praecipuos hic Iureconſultus definit caſus, in quibus eiuſmodi nocturna ſupplicia decerni, oporteat. Quinam uero ſunt illi modi, quibus poenae, cum capitales, tum maxime non capitales, identidem iuſtis de cauſis clam infligi poſſint. Sunt quidam uiri in aula, quorum licet aperta crimina morte ſint digna, tamen eos a principe publice plecti, et omni poena liberari; aeque inconſultum eſt. Qua de re princeps reum talem cum literis Bellerophonteis, poenae ſuſtinendae cauſa, ad alium mittit. Dicuntur etiam hac literae in cap. XXXII, de offic. et poteſt. judic. deleg. literae Vriae, quia Dauides iis, cum Vriae uxorem in matrimonium ducendi cupiditate flagraret, in occidendo uiro uſus eſt. Nam hunc cum epiſtola, in qua ea, quae ad eius internecionem pertinebant, perſcripta erant, ad Ioabum, belli ducem, ablegauit. Bellerophonteae autem dicuntur a Bellerophonte. Hic fuit, ut Poetae perhibent, uir Phrygius, genere Corinthus. Dicebatur antea Hipponus. Nactus eſt hoc nomen inde, quod Bellerum, principem inter Corinthios uirum, occiderat. Poſtquam hanc caedem imprudens patrauerat Bellerophontes, Corintho profugus, Argos exulatum conceſſit, atque ad Regem, Proetum, uenit, cuius uxor Bellerophontem ad laſciuum ſui amorem ſollicitauit. Sed cum is, hoſpitii religione ductus, rem cupitam denegaſſet, ſubito amor in odium conuertitur. Quid fit. Accuſat femina Bellerophontem, ac ſi ipſam amore uenereo diligere conatus eſſet. Maritus, uerbo mulieris temere credens, callidum aduerſus Bellerophontem capit conſilium. Negotia, quaſi ei procuranda, tradit, ipſumque ad Iobatem, uicinum Lyciae Regem, cum literis mittit, quibus eundem rogauit, ut Bellerophontes, quouis modo poſſet, interficeretur. Iobates, acceptis literis, honeſtam occidendi iuuenis occaſionem quaerere decreuit. Itaque Bellerophonti, ut chimaeram, monſtrum multiforme ac horrendum, e medio tolleret, mandatum dedit.

Primo enim impetu iuuenem ab hoc monstro interfici posse, arbitrabatur. At Bellerophontes, ope Pegasi, equi alati, atque a Minerua donati, in altum sublatus, chimaerum sagittis transfixit. Hac pugna feliciter pugnata, Iobates Bellerophontem ad deuincendas Amazones proficisci, iussit, quas uero eadem uirtute subegit, ac robustam Lyciorum iuuentutem, ad ipsum interficiendum in occultis tandem insidiis collocatam, confecit. Quo factum est, ut Iobates, admiranda iuuenis praestantia adductus, Bellerophonti, ostensis Proeti literis, bene cuperet, et, data in matrimonium filia, regnum, post fata sua administrandum, destinaret. Quam bene autem haec fabula, a poetis ficta, cum ueritate conspiret, egregie explanat Palaephatus in libro de Incredibilibus, περὶ ἀπίστων, cap. XXIX, et Martin. Brunnerus in not. ad h. l. p. 123. Fabula haec etiam in Adagiis Erasmi reperitur, sub locutione, Bellerophontes literas, uidelicet affert, f. 488, et Bellerophonte castior; f. 613, edit. secundum L. C. Hanouiae M DC XVII. At quaerat quispiam, deceatne dolus malus principem uirum, quod uitium homini de fece plebis in omni uita fugiendum sit. Tametsi literae Bellerophonteae speciem commendationis prae se ferant, tamen dolose sunt scriptae, atque afferenti maxime sunt perniciei. Principem autem, literas Bellerophonteas adhibentem, tum iuste, tum prudenter, facere, graues utique causae declarant. Audiamus iudicium Aerodii, quod iam aliquoties mentioni de simili fere puniendi modo, lib. VII, Cap. XVI, f. 412, factae, subiungit. Gallus, Praetor, ait, accusatus est, quod, suadente M. Antonio, in mortem Octauii, Caesaris, conspirasset. Conuictus, dignitate a collega spoliatus, domus a plebe direpta, et, iudicante senatu, morte damnatus est. Attamen Augustus, qui iis initiis securitati suae, non tam clementia, quam fama et opinione clementiae, consulebat, hac arte usus est, inquit Appianus, sed et Suetonius in Augusto, gratiam iudicii fecit, nihilque aliud statuit aduersus Gallum, quam ut ad Marcum, fratrem, qui erat in prouincia, proficisceretur, ibique perpetuo esset. Verum proficiscentem sic clam occidi, iussit, ut de auctore et percussore nihil sciri et audiri posset. Hoc diligentius intuenti non perfidia, sed prudentia est. Nam rei tanti criminis, quid interest, quomodo pereant, dum pereant noxii, et quis, in poenae exigendae ratione, industriam non requirat, quae,

nisi

nisi caute exacta est, a coniuratis in principem redundat. Haec Aerodius. Leuius adhuc occulte puniendi genus superest, quod poenas, uulgo non capitales appellatas, complectitur. Hoc poenarum genere princeps utitur, si quem, qui aliquid perpetrauit, uel criminibus implicatus est, procul ab aula remouet. Dat ei noua et difficiliora negotia obeunda, eumque, nouis quasi muneribus, nouaque dignitate ornatum, in alium locum mittit. Fieri etiam solet, ut eiusmodi minister, uel principis mandato iussus, uel ab amicis monitus, sua quasi sponte de statione decedat. Plurima hanc in rem exempla occurrunt in Tacito, quae omnium optime diiudicauit Forstnerus in citatis iam notis ad eiusd. annales, uelut ad lib. I, Cap. V, ad uerba, Ceterum Tiberio haud ingratum accidit, cetera, p. 220, seqq. ad lib. II, cap. XLII, ad uerba, Nec ideo sincerae charitatis, cetera, p. 334, ad lib. XIII, cap. XLVI, ad uerba, Prouinciae Lusitaniae praeficitur, p. 433, et lib. XIV, cap. LIII, ad uerba, At Seneca criminationum non ignarus, p. 92. Pariter Nero Othonem in prouinciam Lusitaniam, specie legationis, seposuit, narrante eodem Tacito lib. I Histor. cap. XIII, et P. Clodius in senatu sub honorificentissimo ministerii, h. e. legationis, titulo M. Catonem a Republica relegauit, uti hoc commemorat citat. Velleius lib. II, cap. XLV, ad quem locum Boeclerus in not. p. 213, ita commentatus est, Quam late pateat istud arcanum, quo, specie honoris, homines seponuntur, eximia dissertatione tractat Gruterus in discursu ad illud Taciti lib. II Annal. cap. XLII. Conf. Lipsius lib. IV Politic. cap. XIV, no. 76, cit. Clapmarius lib. IV, cap. XI, et Illustris Dn. a Leyser, in dissertatione, argumentum hoc, quam scienter, tam eleganter, declarante, de Poenis Ministrorum Principis delinquentium, p. 18. Ex recentioribus adiungi hic potest Comes de Melgara, summus rerum ciuilium et militarium in Regno Castiliae Praefectus, qui uulgo Admirante de Castilla dici consueuit. Fuit hic uir excellenti acerrimoque ingenio, et plurimum apud Hispanos ualuit auctoritate. Hoc autem infensior fuit nouo Philippi Regis, adhuc uiuentis, imperio, quo maiori iniuria erat affectus. Nam quaedam munera, ab ipso ante administrata, amiserat, atque ab aulicis, in primis ab aduenis Galliae, uexabatur. Hic cum uariis de causis in Regis suspicionem cecidisset, consilium eum ab aula dimittendi est ini-

tum, ipsique legatio ad Regem Galliae delata. Sed dolum dolo elusit. Nonnullos de suis Lutetiam Parisiorum ad conducendam ibi domum misit, et Mantuae Carpetanorum, siue Madriti, pecunia magna ex praediis bonisque facta, atque ingenti hominum rerumque copia comparata, ita se gessit, ut legationem splendidissimam cum magno comitatu obire uelle uideretur. At aliquot dierum uiam, qua ex Hispania in Galliam itur, progressus, arcana a Rege se accepisse mandata, simulauit. Qua de re uersus Olysiponem, seu Lisbonam, se conuertit, ibique per confessionarium suum, Cinfuegos, astutum ordinis Loiolitici sacerdotem, certis legatis, pro Comite deprecantibus, id impetrauit, ut a Rege Lusitaniae reciperetur. Quo facto, sedem ac domicilium in urbe illa constituit, et literis, statim ad Reginam missis, aliisque postea scriptis causam suam defendit, ut relatum legitur in monumentis (Mémoires) Lamberti, Gallice consignatis, tom. II, ad A. MDCCII, p. 257, et in Historia publica et arcana aulae Hispanicae, sub Philippo, gallice pariter scripta p. 57. In iis, qui moniti ex aula discesserunt, habendus est Gallicorum quondam purpuratorum princeps, Mazarinus. Namque, hoc Mazarino praesente, periculum erat, ne urbs tumultu perturbaretur. Itaque amice a Regina, matre, monitus fuit, ut, quam propere fieri posset, tota Gallia excederet, ita docente Beniam. Priolo, lib. VI histor. Gallic. cap. VII, p. 244. Eo libentius autem Reginae paruit Mazarinus, quo certior de reditu in Galliam fuit, qui paullo post, cum reuocatus esset, euenit, teste eodem Priolo c. l. cap. XXXIX, p. 284. Ceterum Princeps, maximos uiros regno expellens, multis minus prudenter agere uidetur. Hi enim, ciuitatibus pulsi, semper instrumenta se praebent affligendi patriam suam, eamue rempublicam, cuius finibus excesserunt, ut recte iudicat laudatus saepe Forstnerus in cit. not. ad Tacit. lib. V Annal. cap. V, ad uerba, Ceterum Tiberio, cetera, p. 206, plurima uero eius rei exempla affert Illustris Dn. a Leyser, in cit. differt. p. 28.

§. X

Quinam casus dubii hic occurrant.

Quemadmodum flebilis uitae exitus, quem Guisii, iussu Henrici III, Galliarum Regis habuerunt, eruditos uiros in diuersas traxit sententias, quarum rationes supra exposui, sic adhuc alia extant facta, de quibus, utrum

utrum iuste an iniuste suscepta sint, nostra aetate disputatur. Huc pertinet factum Philippi, Regis Hispanorum. Is filio unico, postquam rem cum S. Inquisitionis officio communicauerat, clam dato in iusculo ueneno, maturauit mortem. Fecit hoc, ut se in regno conferuaret. Iuuenis enim erat acer, uehemens, superbus, et imperii cupidus, cui pater Elisabetham, Henrici II, Galliarum Regis, filiam, ipsi desponsatam, eripuerat. Hoc cum indignaretur regius filius, et uaria arma, quae suspicionem, in quam iam inciderat, augebant, in cubiculo occultasset, libereque coram sacerdote professus esset, se aliquem interficiendi iniisse consilium, pater, hoc audito, id ad se pertinere, dixit, prout omnem rem enarrat Thuanus lib. XLIII Hist. ad A. M IↃLXVIII, f. 870. Quamuis, commemorante Thuano, lib. CXX, ad A. MDXCVIII, f. 830, eum ueneno periisse credatur, ob suspiciones, de turbidis cum Belgii proceribus, atque adeo cum Colinio consiliis conceptas, causam tamen hanc Famian. Stradam, Decad. I, lib. VII, p. 316, frigide refutasse, scribit. Io. Christoph. Becmannus, in histor. Orb. terr. Geograph. et ciuili, part. II, cap. I, p. 483. Conf. Boetius, supra citatus, no. XI, p. 86, qui, Thuanum sine dubio secutus, scribit, Carolum, sumto uenenato iusculo, clam uitam posuisse, morbo, sua culpa accersito, eum occubuisse, Strada c. l. leniter autem strangulatum fuisse, uel, ut alii putant, secta uena, pedibusque in aqua positis, diem obiisse supremum, Petr. Matth. lib. I. Histor. narrat. IV, p. 72, perhibeat. Quantum uero historici in describendo, quem Carolus habuit, uitae exitu, a se inuicem discrepant, tantum quoque uiri eruditi, in diiudicando Philippi, Regis ac Patris, facto, inter se dissentiunt. Nonnulli patrem fere laudibus usque in coelum efferunt. Nam Regem, aiunt, communem salutem priuato commodo antetulisse, et filium unicum, iuuenem, aetate maxime florentem, regni autem turbas molientem, interemisse, eoque referunt Ciceronis in Orat. pro Roscio Amerino, cap. XIX, effatum, Magna, inquit, oportet esse uitia atque peccata filii, quibus incensus parens potuerit in animum inducere, ut naturam ipsam uinceret, ut amorem illum, penitus insitum, eiiceret ex animo, ut denique patrem esse sese, obliuisceretur. Merito igitur Regem amorem, quem natura in eos, qui procreati sunt, ingenerauit, uicisse, filiumque ea, quae ad conspirationem spectant,

facientem, maximique criminis reum, capite multasse, affirmant. Ingens enim est gloria Principis rempublicam magis amare, quam filios, ut est apud Fl. Vopisc. in Tac. uid. Petr. Matthaeus, cap. I, p. 72, Strada, cap. I, p. 315, et Lansius in orat. pro Hispania, p. 250. At sunt etiam, qui dicunt, Philippum Regem tam iniuste, quam imprudenter, fecisse. Filii enim animum ab ineunte adolescentia a Parente alienatum fuisse, perhibent, quod Patris iussu, a Roderic. Gomes. Sylua, ipsius ephoro, male habitus, durissima usus sit educatione. Nec postea benignitate sua Patrem filii animum, ab ipso auersum, reconciliare studuisse, aiunt, cum potius hoc odium Rex, Philippus, eo auxerit, quod non modo filium, Austrionotho in eius locum substituto, a regiis consiliis remouerit, sed ei etiam roganti Belgii praefecturam denegauerit, eamque Albano, de quo supra mentio est facta, detulerit, immo sponsam pulcherrimam, Carolo destinatam, ipse in matrimonium duxerit. Accidisse praeterea, dicunt, ut Carolus, cum in Academia Alcalensi commoraretur, ex scalis decideret, et, alliso capite, grauiter uulneraretur, unde talem cerebri contraxerit debilitatem, ut postea, pleno rationis usu destitutus, multa insulse et temerarie fecerit, uid. cit. Petr. Matth. cap. I, p. 70, et Fam. Strad. cap. I, p. 313. Deinceps perhibent, iudicium, ad cognoscendum Caroli delictum, haud rite constitutum, et nimis acre fuisse, acerbissimamque poenam, filio regis indignam, pronuntiasse, etiamsi Hispaniae fuerit infans, ut dicere solent historici, ac dominus et futurus rex, quem non ab inquisitoribus, in ipsum male animatis, sed ab omnibus regni ordinibus, iudicari, oportuisset. Denique testimonium crudelitatis hoc esse, contendunt, quod Rex in alios usus sit clementia, contra ea in filium unicum saeuitiam suam exercuerit, cum sequi potius debuisset Carolum M. Imperatorem, qui Pipino filio poenam, conspiratione meritam, condonauit, causam interferens, se esse Patrem, non Regem, aut iudicem filii, Petr. Matth. c. I. p. 71. Vtique hic ponderandum fuisset id, quod in Troadibus Senecae, u. 333, Pyrrho regerit Agamemnon, Quod non uetat lex, hoc uetat fieri pudor, uid. Io. Christoph. Becman. in differt. de Cognomin. Princip. cap. I, §. XIV, p. 86. Dignus est, qui in eam rem legatur sermo ad Suleimannum, Turcorum Imperatorem, de supplicio Baiazetis cogitantem. Is habitus

est

est a coniuge dilectissima, ac memoriae proditus a Busbequio, in ep. I, de rebus Turcicis, p. 151. Hic quidem Busbequius antea p. 57, mentionem fecerat Principis Turcici, Mustaphae, cuiusgulam Parens, ob suspicionem affectati imperii, et metum Ianizarorum, clam intra parietes tabernaculi frangi, iusserat. Rationes autem, ad defendendam filii delinquentis caedem, a iure stricto desumtae, afferuntur in Io. Kleinii, Illustris ICti Rostochiensis, differt. de foro illustris filii delinquentis, cap. II, in uolum. disput. eius Iurid. p. 803. Conf. Caspar. Henrici Graunii disput. de Carolo, Hispaniarum Principe, Philippi II filio, hab. Vitembergae M DC LXXXVII. Pertinet huc quoque factum Reginae Suecorum, Christinae. Haec, cum regno se abdicasset, et in Gallia uersaretur, Monaldeschium, Marchionem, stabuli sui magistrum, quis arcana nefarie prodiderat, in arcis Regiae, quae Fontis Bellaquei nomen habet, porticu, a ceruis denominata, capitis damnauit, et, precibus nullum relinquens locum, per certos homines, ad id delectos, misere trucidari, iussit. His autem, qui obiiciebant, id iniuriose fieri in Regem, ad quem haec arx pertinebat, respondit, se esse reginam, et quouis loco suos puniendi habere potestatem, ut, praeter alios scriptores plurimos, rem enarrat auctor anonymus, qui uitam huius Reginae Germanice scriptam edidit Lipsiae M DCC V, 8. Confer libellum Germanicum, Anhang von 12 erhoeheten und gefallenen grossen Ministris, no. XI, p. 172, im Politischen Discours vom Bel zu Babel, Hamburgi M DCC XII, 8, Henr. Anshelm von Ziegler taeglichen Schau Platz der Zeit, f. 1226, et Erasm. Francisci hohen Trauer-Saal, II Theil, Histor. XLI, aliaque scripta. Sed res adhuc in dubium uocatur. Quaerunt uiri docti, licuerimne hoc facere Reginae in peregrina arce. Sunt quidam, qui hoc negant, causam interponentes, Reginam in Gallia uixisse, ibique non liberam habuisse potestatem, neque ius uitae et necis, siue in alios, siue in suos, exercere potuisse. Aiunt praeterea, ipsam Reginam imperantis Regis imperium, quamdiu ibi fuisset, licet adhuc regnum teneret, agnoscere debuisse, uid. Ioachim. Christoph. Nemeitz, in libro, quem inscripsit Sejour de Paris, cap. XXXVI, §. VIII, in not. At alii in alteram partem disputant. Si legatus, dicunt, in peregrina regione principis ditioni non est subiectus, et potestatem comites suos poenis afficiendi, habet, multo minus Rex alieno imperio obtemperare debet, uid. Sam. Willenbergii disput. de iurisdictione legati in comites suos, hab. Gedani M DCC V. Et quamuis Rex imperio se abdicauerit, tamen in statu naturali manet, et libertatem, a natura datam, retinet. Ex nemine pendet, nec cuiquam, nisi Deo, quamdiu communibus naturae ac gentium legibus conuenienter uiuit, neque reipublicae cuiusdam statum perturbat, rationem reddit, ut dilucide demonstrauit Illustris Hassenius in differt. de Conditione Principis, qui imperio se abdicauit, habita M DCC XXXIV, in qua p. 28, not. 15, ex Pufendorfio uerba adduxit, quibus Christina, facta abdicatione, libertatem atque immunitatem, per natales sibi competentem, se retinere, declarauit. Ipse Rex Galliae uidetur Christinae regiam quandam maiestatem tribuisse, quae indelebilis sit, in homines seruitio eius adstrictos, nullo circumscripta loco, nec ulli externo principi subiecta. Nam, cum quidam Galli, regiam dignitatem hac re laesam putantes, regi suaderent, ut in facinus inquireret, Rex Christinam inuisit, nihil de trucidato locutus, eamque, paucos dies Lutetiae commoratam, honorifice dimisit, teste Priolo, lib. IX, de reb. Gall. §. XIV, p. 330 Conf. Willenberg. in cit. differt. Cap. II, §. XVII, p. 22. Venio nunc ad Albertum Wallensteinium, Friedlandiae Ducem, et summum militiae

Im-

Imperialis praefectum. Hic pari fere modo misere interiit. Wallensteinius quidem, multis periculis in bello superatis, rebusque praeclare gestis, exsplenduit, et magnam sibi gloriam ac dignitatem comparauit. Sed, quoniam fuit superbus, incidit in suspicionem, tanquam multa perfidiose contra Ferdinandum II, Imperatorem, fecisset. Cum uero uiuus tuto neque capi, neque tradi, posse uideretur, in arce Egrae ex composito necatus, periit, ut relatum legitur in uita eius, Italice scripta a Galeaceo Gualdo, Lione M DC XLIII, in 4, Latine autem edita a Iosua Arndio, Rostochii M DC LXVIII, in 8, et in Italica pariter huius facti descriptione, a Io. Franc. Loradano operibus suis inserta, tom. II, Venet. M DC LIII in 12, itemque in Boetii cit. lib. no. XXV, p. 244, seqq. Merckenii cit. pariter libr. p. 963, seqq. Luneti cit. hist. tom. III, p. 349. Paulli Piasecii Chronic. gestor. in Europ. singul. ad A. M DC XXXVI, f. 468, Philipp. Andr. Burgoldensis, h. e. Oldenburgeri, discurs. ad Instrum. Pac. part. I, disc. 1, §. CV, p. 120, obi germanicum Wallensteinii epitaphium simul exhibetur, et in Burcard. Gotthelf Struuii Syntagm. Histor. German. dissert. XXXV, §. LXVII, p. 1628, ubi, praeter scriptores, iam commemoratos, alii citantur. Varie hi auctores de interitu Wallensteinii disputant. Alii hoc factum non probant, existimantes, de tali tamque claro uiro, et de Imperatore optime merito, suspicione sola non fuisse iudicandum. Nam neque causam suam dixit, neque auditus, turpi morte periit. Quodsi defensio ne gregario quidem militi denegatur, cur summo militum praefecto, maximam dignitatem obtinenti, non concedenda fuisset. Rectius, aiunt, fecisset Imperator, si eum uiuum comprehendi, iussisset, atque ipse, cognita in iudicio causa, eundem capitis damnasset. Alii contra repentinum hoc mortis genus laudibus extollunt. Eiusmodi enim indicia adfuisse, perhibent, quibus Wallensteinius coniurationis factus sit reus. Itaque rem iam eo peruenisse, dicunt, ut aut Principi, aut coniuratis, pereundum fuisset. Sed, quoniam propter potentiam, nec capi sine turba, nec custodia teneri, nec legibus iudicari, potuisset, imminentem tempestatem et periculum instans depelli, ac, tanquam serpentem, antequam morsu nocuerit, occidi, oportuisse, contendunt, sic in primis iudicante Loredano in cit. lib. p. 273. Plurima eius rei exempla in medium proferre possem, sed libet adhuc pauca de supplicio Mariae, Scotorum Reginae, in Anglia, regnum tenente ipsius sorore, Elisabetha, dicere. Haec enim Maria carnificis manu palam, in ferali pegmate, securi fuit percussa. Sed multi dubitant, utrum haec necandi ratio iusta, an iniusta sit existimanda. Satius fuisse, putant, si Elisabetha Mariam, morte dignam, uel perpetuo in custodia retineri, uel clam, uena incisa, aut aspidis morsu adhibito, aut data, Atheniensium more, cicuta, interimi, iussisset, ut, grauiter in Elisabetham ea de causa inuehens, existimat Lansius in Orat. contra Britanniam, p. 576. Sed satis de hoc, ne plura de his commemorando, egrediar extra fines, ab ea praescriptos lege, cuius obseruandae causa, huic disputationi imponitur

*F I N I S*